DECLAMATIONUM

DISCIPULIS CLASSIS PRIMAE

A. D. VI. ET V. ID. APRIL. A. CIƆIƆCCCXXV

HABENDARUM

SOLEMNITATEM

IOANNIS FRIDERICI SCHROEDERI

RECTORIS SCHOLAE TORGOVANAE QUONDAM MERITISSIMI

VOLUNTATE INSTITUTAM BENEFICIOQUE ADIUTAM

RERUM SCHOLASTICARUM TUTORES AC FAUTORES

INVITAVIT

GOTTLOB VUILHELMUS MUELLER

LYCEI TORGOVANI RECTOR ET PROFESSOR

INEST

QUAESTIONUM XENOPHONTEARUM

PARTICULA PRIMA

AUCTORE

GUSTAVO [redacted]

D. PHIL. M. LL AA LYCEI TORGOVANI SUBRECTORE

ADDITA SUNT PAUCA DE REBUS LYCEI TORGOVANI

TORGOVAE LITTERIS W. C. H. WIDEBURGI

Quum omnes fere Xenophontis libri eam sortem sint experti, ut cum lacunis, interpolationibus, corruptelis nobis conservati dicerentur, tum vel maxime eum in librum incidit haec suspicio, qui Memorabilium Socratis nomine dici consuevit. Qui quum plures moveat quaestiones, quam quae brevi absolvi queant, de ratione qua ortum eum esse probabile sit,[1]) de consilio quo scriptus esse videatur, de totius denique libri ingenio: in alind tempus haec reservanda videntur. Nunc fert animus nonnullos locos, in quibus negligentiae crimen sibi fecit scriptor, vocare in disceptationem. Iam quum hujusmodi locos excusatum eo, non sum equidem nescius in re invidiosiore me locare operam, facio id tamen ex animi sententia. Quod si cui brevius aequo fecisse videbor, is me satis angustis sciat circumscriptum fuisse cancellis et quum facilius sit aliorum sententias rejicere quam suae veritatem argumentis comprobare, tum satius esse quas speciosiores quam veriores judices missas facere meminerit. Illud vero movet me animus ut gratus agnoscam, Hermanno, quem praeceptorem pie veneror, in his quoque quaestionibus Xenophonteis plurimum me debere. Initium dicendi ex tribus Commentariorum de Socrate locis sumo.

II, 1, 1. verba plura cum uno alio conjungi videmus, quae singula non bene possunt. Quod fieri bene posse neque ignotum est et exempla a Dorvill. ad Charit. p. [illegible] allata docent. Fieri tamen h. l. posse negantes interpretes in diversas ab[illegible] Xenophon ubi dixit: Videbatur mihi haec quoque disputans discipulos adverte[illegible] exercitandam abstinentiam a cibi et potus et veneris somnique cupiditate, est frigus,

1) Quaeritur autem, utrum Xenophon Commentarios suos ex Asia redux factus composuerit, quum post mortem potissimum nobilitari coepisset Socrates, an quotiescumque hic in tabernis quibuslibet ac popinis habuisset colloquia, ea sibi litteris consignaverit, eo modo quo Euclides se fecisse dicit Plat. Theaet. p. 142. c. quoque praecipit Lucianus in libello, Quomodo historia sit conscribenda Vol. IV. p. 208. Bip., sive ubi plus otii contigisset Musisve placuisset, dispersa in unum redacturus et amplius elaboraturus sive eo ipso fidelissimam Socratis imaginem depingi ratus.

aestum, laborem additurus; facit id autem ita, ut vel priora oblitus[2]) vel ἐγκρατείας vocabulo deceptus videatur putavisse, se in antecedentibus verbo usum esse tali, quod bene cum his quoque genitivis posset conjungi. Ad ἐγκράτειαν vero, quae paullo ampliore significatione necesse est intelligatur, ea fere qua Cyrop. VIII, 1, 36. ἐγκράτειαν cdd. Guelf. et Par. interpretantur ἐπικράτησιν, amplificationis cujusdam caussa addita sunt πρὸς ἐπιθυμίαν. Πρός praepositionem similiter cum καρτερικός et μαλακός adjectivis conjunctam praeter statim sqq. et §. 6. vid. I, 2, 1. 2. Iam omnis hujus loci difficultas vertitur in eo, quod vbb πρὸς ἐπιθυμίαν non nisi ad quattuor proximos genitivos sunt referenda. At in hoc quid optimo scriptore indignum? Loci Xenophon ipse suscipit patrocinium res hic nominatas deinceps §§. 2. 3. (ubi ἐγκράτειαν πόνου interpretatur τὸ μὴ φεύγειν τοὺς πόνους) et 6. singulas persequens. Si qua eget aliunde petita excusatione, redundat ex more Socraticorum has res jungendi eque pluribus huic similibus allatis jam ab H. Stephano exemplis; vid. §. 7. Cyrop. VII, 5, 78. et quod Voigtländeri Observationum in Xen. Mem. censor in Diar. Hal. suppl. 1825. fasc. 9. affert, Plat. Legg. p. 493. e.

I, 5, 1. ἥττων eandem quam illic ἐγκράτεια creavit difficultatem. Ibi enim quum res nominatae essent, quibus quis sui impotem se ostendit, non visa sunt suo loco posita esse vbb ἢ πόνου. De his verbis non satis apte positis si judicium est ferendum, Graecis propriae in cogitando alacritatis memores nullo magis in loco nos verba alio transposita velle concedemus quam quo vocabulum aliquod praegnantem dicitur habere significationem, non tamen propterea scriptorem ipsum corrigendum censebimus. Ἥττων qui solet esse i. q. δουλεύων; v. I, 6, 8; hic est labori sustinendo impar, vel si ad omnia ac singula refers, qui aliqua re inferiorem vel rei impotentem sese exhibet.

II, 3, 9. optimam esse scripturam a codicibus confirmatam, quam recepit Schneiderus quamquam ipsi non probatam, et oppositio docet τὸν δὲ ἀδελφόν et usus Xenophonteus et altera ipsa lectio, quae quomodo orta sit, facile intelligitur et malo asyndeto locum pessumdat. Iam de αὐτόν pronomine quid fiat quaeritur. Quod quamquam videri potest ad alteram scripturam pertinere, non caret tamen, etsi vulgatam retinuerimus, sua excusatione. Sunt enim loci eorumque in his libris inveniuntur

---

2) Ejus rei exemplum a novissimo editore non satis recte constitutum habes Symp. II, 22, ubi quamquam Jacobsii conjectura ad Achill. Tat. p. 636. τἀναντία ingeniosissima est, ταῦτα salvis verbis μιμεῖσθαι τροχούς ex familiari loquendi consuetudine interpretor, qua quum antecesserit ταῦτα, verbis deinde aliquot interjectis ipsum vocabulum, cujus loco positum expectabas ποιεῖν, ponatur.

non pauci, in quibus, maxime in fine periodi, vel abundanter vel suspiciose adpositum legatur. Vid. III, 6, 14. 9, 8. I, 4, 18. ubi de αὐτούς pronomine quaeri potest; 2, 30 [3]). Anab. VII, 1, 17. 4, 15. Sed Cyrop. I, 4, 27. et Hellen. III, 1, 23. αὐτόν explicatum videmus additis τὸν Κῦρον et Μειδίαν nominibus, quae utique delenda sunt. Sed ne multus sim, hujus rei curiosos ad locos, in quibus αὐτός pronomen supervacaneum esse dicitur, in Lex. Xen. T. I. p. 482. sqq. et ad viros illos, quos Voigtländerus Obss. in Xen. Part. II. p. 19. laudat, delego. Simile quid αὐτοῖς et σφίσι dativis accidit. Vid. Duker. ad Thucyd. VII, 19. 39. VIII, 106. Neque vero hic usus is pronominis a Romanis abhorret. Vid. Matth. ad Cic. pro l. Manil. XII, 33. Beier. ad Cic. Offic. I, 10, 32. Utile erit comparasse Aesch. Agam. 7.

ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν,

quaeque Seidler. ad Eur. Iph. Taur. 764. et censor Agamemnonis a Lafontanio editi in Diar. Hal. 1822. fasc. 147. p. 302. de simili articuli usu ex tragicis attulerunt.

Praebet haec de αὐτός pronomine disquisitio transitum ad excutiendum aliud negligentiae crimen. Arguitur enim scriptor negligentiae, qui sine idonea caussa verba aliqua repetit. At id faciunt optimi scriptores, facit etiam Xenophon. Paucos ejusmodi locos sum allaturus. Memorabilis et propter rem et propter interpretum sententias locus est Anab. III, 2, 23, cui nihil omnino indignum nostro scriptore nec plus offensionis inesse video quam iis, quos collegerunt Voigtländer. Obss. in Mem. p. 5. 31., Bornem. ad l. l., Krüger. ad Anab. I, 1, 2. 3, 14. 5, 15. Atque omnino quam parum sollicitus sit Xenophon de evitanda ejusdem vocabuli repetitione, plures loci testes sunt; est praeter alios Hellen. III, 1, 23, est Anab. VII, 3, 19. III, 4, 13, quo in loco primum ἔχων ultro bis est accipiendum; adde Oecon. I, 9. XII, 3, ubi repetitum καταμαθών male habet Creuzerum De Xenoph. histor. p. 116; et Anab. VII, 1, 37, ubi haud scio an Bornemanno et Dindorfio rectius Krügerus ἄνδρες iteraverit.

3) Videtur hic οἱ altera scriptura αὐτῷ explicatum esse. Illud vero pronomen apud scriptores atticos quum non nisi ad subjectum reflectat, vereor ne Bornemanno et Krügero rectius omiserit Dindorfius Anab. VII, 8, 10. Habet quidem Matthiaeus gr. gr. §. 147. n. 1. ed. alt. praeter poëticos duo etiam locos Xenophonteos, Anab. V, 4, 33. et Cyrop. III, 2, 26, in quibus dicit οἱ esse i. q. αὐτῷ. Sed vir doctus qui Bornemanni Anabaseos censuram exhibuit in Ephem. litt. Lips. 1826. fasc. 62. recte ejus opinionem videtur refellisse. Idem nisi fallor vir doctus jure suo reprehendit, quod Born. VI, 5, 22. καὶ ὡς scribi malebat, quum non esset nisi etiam sic, vel sic. Non magis leg. Mem. III, 1, 4, quamquam habent Pariss. A. B. C., potius οὕτω καὶ ὅδε, ut paullo infra. Οὕτω enim ante vocalem minus ferri potest quam οὕτως ante consonantem. Vid. Reiz. ad Lucian. T. II. p. 894. sq. Frotscher. ad Xen. Hier. I, 3. Quamquam libri utrumque praebent. Vid. Poppo De elocut. Thucyd. p. 215. sq. et 418.

Praeterea quod participium saepe ad tempus finitum ejusdem verbi ponitur, quam rem Platoni maxime familiarem esse docet Matth. gr. gr. §§ 556. 4. et 558, idem habes in Xenophonte: vide mihi Cyrop. VIII, 4, 9. ἀλλ' ὑπακούων σχολῇ ὑπήκουσα. Neque vero illam, si qua fuit, negligentiam romani optimae notae scriptores spreverunt. Cic. De orat. III, 10: usitatis verbis ita poterit uti, lectissimis ut utatur. quater hic in uno enunciato positum verbum utendi. Plures locos vid. apud Müller. ad h. l., Bremium ad Corn. Them. 3. et Heusingeros et Gernhard. ad Cic. De Offic. I, 3. Quamquam monendum illud est, hujus rei exempla apud Graecos quum sexcenta inveniantur, pauciora multo legi apud Romanos. Illi enim, quae ipsorum linguae erat copiositas atque ubertas, non admodum curabant repetitiones vitare; Romani non ita ubere linguae thesauro instructi hanc paupertatem dissimulabant ac diligenter curabant, ne illa hujus negligentiae indicia ipsis elaberentur.

Majoris etiam negligentiae sum mentionem facturus, cujus arguitur si quis idem et unum vocabulum in eodem enunciato diversa significatione proponit. Ac ne hoc quidem crimine absolvi posse Xenophon videtur. Videamus de tribus locis. Primus est Memorab. IV, 8, 3. Πῶς ἄν τις κάλλιον ἢ οὕτως (pertinere hoc ad vbb πρᾳότατα καὶ ἀνδρωδέστατα, docet initium paragraphi secundae, quae pro interjecta est habenda) ἀποθάνοι ἢ ποῖος ἂν εἴη θάνατος καλλίων ἢ ὃν ἄν κάλλιστά τις ἀποθάνοι; Καλός in his duplicem habet significationem, non egens tamen excusatione, quum primum adjectivum cum substantivo, deinde adverbium cum verbo conjunctum videamus hoc sensu: Mors illa est pulcherrima, quam quis honestissime moritur. Pulchritudinem autem ad graecorum philosophorum exemplum dici de interno animi decore monet Görenz. ad Cic. Fin. II, 14, 47. Κάλλιστα autem et ipsum ad antegressa illa vbb πρᾳότατα καὶ ἀνδρωδέστατα refertur. Ratiocinationem autem hanc instituit: quis melius moriatur quam qui maxime tranquillo fortique animo mortem obit? hac tam honesta morte nulla est beatior, beata nulla diis acceptior. Verba ἢ ποῖος — ἀποθάνοι nihil nisi amplificant sententiam. Ceterum hunc locum non rectius explicuit Weiskius quam similem Cic. Offic. III, 8, 35. Facciolatus. Nihil igitur locus continet Xenophonte quod indignum sit. — Alter locus est in libro De republica Laced., de quo libro non est quod cum nonnullis addubitemus, modo nos non tam opus ad finem perductum quam operis speciem primis lineis descriptam et alius cujusdam additamentis auctam habere meminerimus, id quod ex parte et de Agesilao valet. II, 4. haec leguntur: καὶ ἀντὶ τοῦ ἱματίοις διαθρύπτεσθαι — παρασκευάσασθαι: quibus in verbis ἐνόμισεν est sanxit, instituit, i. q. in libro eodem de Lycurgo

saepius dictum est ἔταξεν, quae illius verbi primaria est significatio, νόμου δίκην καθιστάναι; posteriori autem νομίζων usitatior putandi vis subjecta est. — Tertius locus est Memorab. I, 6, 8. quo loco in transcursu moneo non recte verborum concinnitatem desiderari. §. 3. quae omnino est oppositio, non opus est sit etiam §. 8, ubi οὐ μόνον — ἀλλὰ καί si ad vbb solum ἐν χρείᾳ ὄντα — ἐλπίδας παρέχοντα refers et haec vbb ut praecipuum quod sit in pronunciatione notas, quo oppositionem indices, εὐφραίνει minime habet quo offendat. Majorem difficultatem videtur qui sequitur locus creare propter bis positum εὖ πράττειν et diversa quidem, ut videtur, significatione. Fateor non probari mihi quam Wielandus in Mus. Att. exponit repetitque Weiskius sententiam; oppositio enim, quae inest in verbis οἱ δὲ ἡγούμενοι καλῶς προχωρεῖν κ.τ.λ. docet verba μηδὲν εὖ πράττειν de improspero eorum, quae agantur, eventu intelligenda esse. It enim Socrates Antiphontem sophistam, qui quum philosophi homines feliciores reddere deberent, propter misellum tenuemque victum ipsum infelicitatis magistrum vocarat, ita refutatum, ut suam de εὐδαιμονίᾳ sententiam exponat: At vero, inquit, hoc te non fugit, qui infelicem rebus suis accidere eventum putent non laetari, laetari autem eos, qui prospere sibi succedere sentiant vel agriculturam vel navicularíam vel quidquid forte aliud exerceant, ὡς εὖ πράττοντας, i. e. vel tanquam qui sint felices, vel tanquam qui rem bene gerant. Hoc vero magis probandum: nam quum antea de felicitate universe sermo fuisset, nunc de iis est, quae homines ipsi sua manu suove opere exercent, ἐργάζονται, quae si prosperum habent successum, laetantur, quippe qui felicitatis suae ipsos sese auctores esse opinentur. Non equidem nescio esse, quae huic interpretationi opponi possint, sumta illa maxime ab insolentia diversae ejusdem vocabuli in uno enunciato significationis; verum tamen et sententia totius capitis et similium locorum comparatio movet me, ut illius sententiae patrocinium suscipiam. Animadvertenda est enim consuetudo philosophorum Socraticorum ex nomine rei naturae interpretationem deducendi; maxime id valet de εὖ πράττειν dictione et similibus in multis Platonis locis. Videntur enim duplici hujus dictionis sensu cognationem alterius εὖ πράττειν, rem suam bene gerere, cum altero, felicem esse, demonstrare neque felicem esse nisi qui recte agat, inde docere voluisse. Quamvis hanc esse fallaciam amphiboliae dicat Routhius ad Plat. Gorg. p. 507. c., non abhorret tamen ab ingenio philosophiae Socraticae. Rem absolvunt loci Platonici, Gorg. l. c, quosque Heindorfius ad Charmid. p. 172. a. laudat recte observans, hoc aliaque ejusdem generis saepius sic ansam praebuisse sophismatis magis quam justi syllogismi. — Non absimilia illa sunt, quae supra de Mem. II, 1, 1. disputavimus, ubi ἐγκράτειαν duplici quodammodo sensu dictam videbamus, ut et Plat. Legg. p. 493.

e. καρτερεῖν, quamquam haec non nisi semel erant posita. — Neque vero apud alios scriptores desunt exempla. Animi caussa haec affero. Hom. Iliad. VI, 148. sqq.

φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει· ἔαρος ἐπιγίγνεται ὥρη·
ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡδ' ἀπολήγει.

ubi verbum φύειν post usitatam creandi vides inusitata nascendi significatione positum. Malo enim H. Stephano in Thes. assentiri quam difficiliorem Heynii sequi explicationem. Ita et Odyss. IX, 299. coll. 302. θυμόν dupliciter accipiendum videbis. Possit quispiam huc referre Soph. Oed. Col. 759. sqq.

ἀλλ' οὐ γὰρ ἔστι τἀμφανῆ κρύπτειν, σύ νυν,
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον, θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν
τοὺς σοὺς πατρῴους,

hoc sensu: enimvero quum manifesta occultare non liceat, tu certe abde te, Oedipe, lubens in urbem domumque paternam reversus. Nam quemadmodum κεύθειν apud tragicos non raro neutrali sensu dicitur: v. Musgr. ad Soph. Oed. T. 968: ita et κρύπτειν Soph. El. 816. κρύπτουσιν ἔκηλοι, ubi vid. Monk. Quod dubitantius dixerim; nam quae ab editoribus Oedipi monita sunt, me non fugiunt. In Platon. Theaet. p. 156. e. ὄψιν et λευκότητα duplici sensu dici ratum scholiastam, ut primum sit quod cernitur et albedo, deinde vero ἡ ὀπτικὴ et λευκαντικὴ δύναμις, refutat Heindorf. et Weiskii nugas de diversa significatione verbi ἀνέχεσθαι Xen. Symp. IV, 4. sq. brevius refellit Bornemann.

Xenophontem multis locis non consueto more loqui formasque audaciores et quae magis ad poësin accedant, amare antiqua observatio est. Ac poëticorum quibus usus est vel ei soli peculiarium vocabulorum copiam collegit jam H. Stephanus. Vid. Leoncl. edit. Francof. a. MDXCIV. Praef. Videamus de aliquibus, si disceptandi ansam praebent.

Mem. II, 1, 24. Voluptas, qualem depinxerat Prodicus, Herculem in bivio utram viam ingrediatur dubitantem ut ipsam sibi comitem addat sollicitatura[4]) Πρῶτον

---

4) In praecc. legendum ἐὰν οὖν ἐμὲ φίλην ποιησάμενος κ. τ. λ., quod quum a librariis ποιήσῃ addito explicatum sit, mirum est Schneiderum eam scripturam recepisse. Repetendum est enim ἐὰν οὖν ἐμὲ φίλην ποιησάμενος ἐπὶ τὸν βίον τράπῃ, vel quod Hermanno ad Vig. p. 777. placet, τράπῃ ὁδόν τινα. II, 6, 25. aeque mirum est Schneiderum ad βουλόμενος participium ἐστίν intelligere. Anacoluthon hoc esse volunt Matth. gr. gr. §. 555. n. 2. et Bornem. ad Symp. IV. 53; nisi forte prius membrum ita est constituendum: εἰ δέ τις ἐν πόλει τιμᾶσθαι

μὲν γὰρ, inquit, οὐ πολέμων οὐδὲ πραγμάτων φροντιεῖς, ἀλλὰ σκοπούμενος διάξεις κ. τ. λ. Ita audacius scripsit Schneiderus. Διάξεις negari non potest habere suam commendationem, modo ne manum emendatricem redoleat. Quapropter non majore fide dignum esse videtur quam quod alii vel codices suppeditant vel interpretes correxerunt. Δῇ ἔσῃ miror Budaeum dedisse, quum in lex. sit διέσομαι, perseverabo, nostroque allato loco διέσῃ, διατελέσεις, et editoribus praeter Schneiderum tantopere placuisse. Si quid mutandum, quid si legas ἀεὶ ἔσῃ; certe δή et ἀεί non raro confusa sunt. Vid. Bekk. Comm. critt. in Plat. T. 1. p. 278. Plura de hoc loco disputat Bast. in Add. ad Greg. Cor. p. 895. qui et sensui consulere et ad vulgatas lectiones proxime accedere sibi videtur conjectura διοίσεις, διαφέρειν i. q. διάγειν significare censens, quumque Schneiderus in lex. v. διαφέρω dicat διοίσεται et διοίσει eodem modo usurpari quo διάγειν coll. Soph. Aj. 512. et Eurip. qui dicitur Rhes. 600. et 982, contra hunc et Suidam Hesychiumque cum Lobeck. ad Aj. p. 298. solo activo ita usos esse Graecos autumans, ut eandem cum διάγειν habeat vim. Ceterum Anab. III, 2, 23.

βουλόμενος καὶ ἄρξας ἀγαθόν τι ποιεῖν τὴν πατρίδα πειρᾶται. Hieron. II, 10. Frotscherum si sequeris, expeditum sane habes locum. quaeritur tamen, qui ἐάν ex praecedd repeti potuerit. Anacoluthon admittit Matthiae l. l. Illud video τύχωσιν participio addi solitum valde suspectum esse. Non raro enim hoc verbum, quippe quod usu frequentissimum sit, vel ubi non attinet, positum est a librariis vel verae scripturae male substitutum. Ita Pindar. Nem. IV, 148. sqq.

τὰ δ' αὐτὸς ἄν τις τύχῃ,
ἔλπεταί τις ἕκαστος ἐξ-
οχώτατα φάσθαι,

quum in scholiis esset ἅπερ δὴ ἄν τις τύχῃ θεασάμενος et ἅπερ αὐτὸς εἶδε, monente Hermanno τὰ δ' αὐτὸς ἄν τις ἴδῃ edidit Böckhius. Postea tamen Hermannus, ut interpretationem opinor τύχῃ additi haberet expeditiorem, legi malebat ἰδών: quae quis ipse viderit, optime se quisque dicturum sperat. Non opus est intelligatur ᾖ, quod aliis in locis substituit Schaef. Mel. crit. p. 43. sq. Platon. Eutyphr. c. 18. malo cum codicibus τυγχάνει tueri quam cum Hermanno ad Vig. 770. locum emendare. Contra non nescio esse locos, ubi ad τυγχάνειν ὤν participium sit omissum. Vid. Kust. ad Oecon. III, 3. Contra Phrynichi praeceptum disputans Heindorf. ad Plat. Gorg. p. 502. b. plura dabit. Vid. praeterea Eurip. Iphig. Aul. 730. Erfurdt. ad Soph. Aj. 9. Similiter ad διατελεῖν ὤν omittitur, Mem. I, 6, 2. ubi non opus est addatur ὤν. Vid. Zeun. ad Cyrop. I. 5, 10. Isocrat. Panegyr. 17. ubi sine necessitate Wolfium οὖσαι addi voluisse monet Morus. Sed labor longius. Participium neque omnino pro tempore finito simpliciter poni posse et minus etiam post conjunctiones nota res est. Consentaneum est tamen, εἰ potissimum conjunctione hoc anacoluthi genus facile effici. Vid. Seidler. ad Eurip. El. 533., atque universe de hac re praeter Hermannum et Matthiaeum ll. ll. hic ad hymn. in Apoll. Pyth. 157. Heindorf. ad Plat. Phaedr. p. 254. d. Poppo ad Thucyd. P. I. V. 1. p. 147. sq. et Bremius in Helvetorum Symbolis philologicis Vol. I. p. 172. sqq. Neque qui quam late pateant in graeco sermone anacolutha cognoverit, his rebus offendetur.

similis διολογεῖν et διέσειν vocabulorum est confusio. At vero scripturam a veteribus editionibus exhiberi solitam διέσῃ tuentur plurimi atque optimi libri neque destituit consuetudo Xenophontis nimis vulgaria vitandi et exquisitioribus paullo vocabulis utendi, maxime comprobant codices reliqui, qui scripturas exhibent vel illam aperte interpretantes vel ad litteram ei similes. Optimum vero praebere sensum quivis vel me non monente videt. Tuendum itaque διέσῃ eisdem fere de caussis judico quibus Anab. VII, 6, 22. διαφυλαξαμένους aptissimum censenti Krügero adsentior. Facessit sane negotium, quod quantum equidem sciam nusquam praeter hunc locum legitur nisi quod Zonaras p. 75. Tittm. ἀΐδιος adjectivum interpretatur ὁ ἀεὶ διών. Qua interpretatione quamquam probabilius multo, id quod Bast. l. c. demonstrat, Apollon. Dysc. περὶ ἐπιῤῥ. ita disputat: ἐν τρόπῳ τῷ ὄπισθεν τὸ ὀπισθίδιος τυπώσεται, ἔμπροσθεν ἐμπροσθίδιος, μαψίδιος, ἀΐδιος: habemus tamen verbum, quod licet videri possit a grammaticis fictum esse, Xenophonti non injuria restitui puto, et loco Zonarae ad διέσῃ scripturam nostro loco vindicandam recte censet utendum esse Schaefer. ad Greg. Cor. p. 348. Praeter hunc Zonarae locum provocarem etiam in Plat. Cratyl. p. 419. a., ubi τὸ δέον videtur Socrates interpretari τὸ διὸν ὅπερ ἀεὶ ἐπαινεῖ, nisi et Bekkeri Comm. critt. T. I. p. 278. Gaisfordiique Lectt. Platon. p. 33. me de diversitate scripturae monerent et interpretes in varias abire partes ipsumque Platonem deinde viderem pergere τὸ δέον esse τὸ διακοσμοῦν καὶ διϊὸν πανταχοῦ ἐγκεκωμιασμένον, denique ex his facetiis etymologicis, quas Plato captat, non magnum scirem fructum ad etymologiam redundare. — In verbis quae sequuntur invenitur variatio scripturae, qua apud Xenophontem nihil est frequentius. Dico σῖτος et σιτίον, maxime in plurali numero. Frustra esset qui legem scriberet, ad quam omnium librorum scripturae exigerentur. Quodsi ad h. l. recte disputavit Weiskius, aut dicendum fuisse τί σιτίον ἢ ποτόν aut τίνα σῖτον ἢ τί ποτόν, quum eadem de caussa Cyrop. IV, 2, 41. accuratius scriptum sit, τοιοῦτον σῖτον καὶ τοιοῦτον ποτόν: σῖτον fide caret, constat enim singulariter non dici τὸ σῖτον. quamquam vereor ne id argutius ille, ut solet, quam verius disputaverit. Exempla confusionis vide ap. Heindorf. ad Plat. Phaedon. p. 37. Krüger. ad Anab. VII, 1, 33. Ceterum etsi docere solent has voces deminutivas, si quae dactylum efficiant, solere penultimam accentu insignitam habere, σίτιον tamen scribendum esse collatis similibus ὕδριον, λύχνιον, ῥοίδιον aliis ducibusque Apione Herodoroque censet Spohn. De extr. Od. p. p. 276. sqq.

Ita hoc aliisque locis quum quas tueor scripturae magnam ex eo nanciscantur commendationem, quod libri solent alias suppeditare, quas adparet nihil esse nisi difficiliorum illarum interpretationem, huc addendum etiam Sympos. IV, 24, ubi quum

vulgatur λιθίνως ἔβλεπε πρὸς αὐτόν, scribendum duco cum Aldina λιθίνην, quod λιθίνως vulgato explicatum Hermannus praefert alteri scripturae, non recepit Bornemannus. Addo quod II, 6. idem Born. intactum reliquit προςενόησα. At verbum προςνοεῖν, quod quantum sciam nusquam apud Xenophontem praeter hunc locum legitur, nisi quod Cyrop. VI, 3, 7. cod. Guelf. loco προνοεῖν vulgati dat προςνοεῖν, minore fide dignum est quam προςεννοεῖν, quod ex usu verbi ἐννοεῖν Xenophonteo scribendum esse recte videtur censuisse Schneiderus.

Hinc tango quae de variatione formarum Φιλόνεικος et Φιλόνικος disputantur. Fuerunt qui Φιλόνικος, Φιλονικεῖν, Φιλονικία negarent graeca verba esse. Vid. Hutchins. ad Cyrop. VII. p. 419. Fischer. ad II, 1, 22. Buttm. ad Plat. Alcib. I. p. 122. c. Böckh. ad Pind. Pyth. IX, 32. At Φιλόνικος non videtur vituperari posse. Quid si poëta coronam, quam Euripides dicit καλλίνικον, diceret Φιλόνικον, quis gravaretur? Ac nonne frequens illarum formarum permutatio utramque probam esse testari potest? Tullius Offic. I, 19, 64. quum ex Platone Lacedaemoniorum cupiditatem vincendi laudet, non absona est opinio legisse eum Φιλονικίαν, sive praeter Lachet. p. 182. extr. VIII. de rep. p. 545. a., cujus in libri priore dimidio codices plus semel illam formam praebent, sive Alcib. I. p. 122. c. respexerit. Beierus, qui ad l. c. Φιλόνικος interpretatur Φιλόπρωτος, in Addendis eo usque progreditur, ut et in illis locis et Rep. IX. p. 581. b. d. 583. a. 586. d. e. Φιλόνικος et Φιλονικία utique restituendum dicat. De sensu quid quaero? Schol. ad Plat. Alcib. I. p. 122. c. (vid. Bekk. Comm. critt. T. II. p. 305.) haec habet: Σημείωσαι Φιλονικίαν διὰ τοῦ ι, τὴν Φιλίαν τῆς νίκης. De νῖκος vocabulo facilior disputatio. Videtur verbum esse recentioris aevi, quod quamquam H. Stephano Thes. v. νίκη indicante Eustathius dici de victoria testatur, non est inculcandum Hom. Iliad. XII, 276, neque Herodoto, cui VII, 225. ex uno codice Wesselingius νεῖκος restituit, neque Pindaro, cui scholio ad Pyth. IX, 32. adversans Böckhius νῖκος formam denegavit; probam vero sedem habet Orph. Argon. 567. Vid. Herm. p. 821. At missis nunc reliquis formis ceterisque locis Xenophonteis (Mem. II, 6, 5. leg. Φιλόνεικος, II, 3, 17. Φιλονεικήσειν) Mem. III, 4, 3. fortasse unus est locus Xenophonteus, in quo Φιλόνικος ex sententia totius loci, quae vocabulum victoriae studium indicans postulat, non minore jure tuendum sit, quam Cyrop. I, 5, 7. legitur ἀξιόνικος.

Varietatis σῖτα et σιτία quum supra injecta mentio sit, cognatam rem tango, quaestionem de vocibus ἀνδρεία et ἀνδρία. Ita enim in his verbis libri fluctuant, ut iis si te committas, incertus haereas, utra vera sit scriptura. Ac primum de vocabulis in εια et ια desinentibus cf. Ph. C. Hess. Obss crit in Plutarch. Timol., Maltby in Prolegg ad

Morell. Thes., Poppo ad Thucyd. P. II. Vol. I. p. 153 sq. Göttling. ad Aristot. Polit. p. 287. Utraque forma nacta suos est patronos, ἀνδρία H. Stephanum Thes. T. I. c. 439, Heindorfium ad Protag. p. 695. ad Cratyl. p. 102, Morum ad Isocr. Panegyr. p. 110. ed. Spohn., Buttmann. gr. med. §. 104. c. 10. a.; ἀνδρεία Wesselingium ad Diod. Sic. T. I. p. 408. 42, Dorvillium ad Charit. p. 405, Schaeferum Mel. critt. p. 41. sq, Passovium in libello, über Zweck, Anlage und Ergänzung griechischer Wörterbücher. p. 17. Sperni vel addubitari hodie solet ἀνδρεία, nec minus quam indicante Schaefero l. l. Wesselingius in Diodoro et Schweighäuserus in Historicis fluctuant editores Xenophontis, cujus libri utrumque praebent, utrumque probantibus interpretibus. Vid. Symp. II, 12. Mem. I, 1, 16, ubi Frotscherus quum Obss critt p. 17. probasset ἀνδρεία, retractavit sententiam ad Hieron. IV, 5. Locos praebet Lex. Xenoph. Falluntur opinor qui alterutram tuentur formam spreta altera. Ἀνδρία in dubitationem vocari non potest: potest vero etiam ἀνδρεία defendi. Est enim quasi ab ἀνδρεύω, quod si in usu esset, significaret, me ut virum gero; habemus ἀνδρεύομαι i. q. ἀνδρίζομαι; est igitur ἀνδρεία ejus qui virum sese exhibet, i. q. ἀνδρειότης. quid sit, interpretatur Plato Cratylo p. 413. e. Habemus plura similia vocabula: ἀγνεία quod non factum est ab ἀγνός, sed ab ἀγνεύω, ut βασιλεία a βασιλεύω, ἱερεία ab ἱερεύω, στρατεία a στρατεύω, παιδεία a παιδεύω, δουλεία a δουλεύω, θεραπεία a θεραπεύω, πρεσβεία a πρεσβεύω. Passovii dubitationi lexico s. v. ἀνδρεία satis gravis nota est adspersa de ἀνδρηίη ionico monens. Haec est enim quae dici solet ionica διάλυσις τῆς ει διφθόγγου εἰς εἳ καὶ ἔκτασις τοῦ ε εἰς η τραπέντος. Nonnulla ad orationem ionicam accommodate observat H. Apetz. ad Herodot. Teubn. T. II. p. 289. sq. Ex praeceptis vero, quae de accentu harum vocum dedit Buttm. gr. gr. Vol. I. p. 142. sq, elucet non opus esse dicatur ἄνδρεια, quod voluerunt, si qui ἀνδρεία ad ἀλήθεια vocabulum, quod ab ἀληθής derivatur, formatum maluerunt, quamquam non est in graeco sermone ἀνδρής adjectivum. Ἀνδρεία igitur non est quod addubitetur. Similis ratio est vocabulorum προστασία et προστατεία; vid. Lobeck. ad Phryn. p. 521. De formis εια et ια illud praeterea moneo, et ionicam dialectum amare formam ιη et poësin metri legibus parentem eam accepisse vel longo vel brevi ι. Qua de re ubi ad Hermann. Elem. doctr. metr. p. 56. et Spohn. De extr. Od. p. p. 177. sq te delegaverim, satisfecisse mihi videor. Apud Xenophontem utramque formam tolerandam esse censenti Bornemanno ad Symp. III, 4 [5]) lubens adsentior. Ἀνδρία est igitur virtus, ἀνδρεία, si hoc vocabulo hic licet uti, virilitas.

---

5) In praecedd tamen mallem margini Villois. obsecutus scripsisset εἰ καλοκἀγαθία κ. τ. λ. Sensus est: Puto me homines ad meliorem frugem reducere posse. Opificium an virtu-

Non absimilis est alia de στρατεία et στρατιά disquisitio. Sunt omnino in graeca lingua multa vocabula, quae quum diversam habeant scripturam, diversam etiam habere dicantur significationem: multa quidem ejusmodi excogitavit praepostera grammaticorum sollertia; bona tamen eorum pars in linguae ingenio posita videtur esse. Differunt autem illa vocabula ita, ut στρατεία a στρατεύω factum expeditionem significet, dicitur ergo στρατείαν ποιεῖσθαι, στρατιά a στρατὸς descendens sit status exercitus et exercitus ipse, dic. στρατιὰν συνάγειν. Non multum tamen refragabor, si non ab omnibus scriptoribus severa quadam religione illud discrimen observatum dicas. Aristophanem certe solam στρατιά formam habere perhibet censor Thucydidis Haackiani in Diar. Hal. 1820. fasc. 259. p. 330. At poëta ille est. Xenophontem observare discrimen arbitror, cujus rei vel hoc est indicium, quod apud eum non tanta illorum vocabulorum quam apud alios scriptores reperitur fluctuatio. Exempla tamen dat Lex. Xen. T. IV. p. 105.

Postremo Xenophontem ab alio negligentiae crimine sum vindicaturus. Καὶ — γέ particulas in responsionibus, gradationibus et plurium rerum enumeratione vulgarem usum habere nemo nescit. Iam vero gradatio, quam indicant, quum soleat fieri a minore ad majus, videri tamen possunt esse loci, in quibus per eas a majore ad minus descendatur. Videamus duo locos Xenophonteos, unum Sophocleum. Soph. Trach. 444.

οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει
κἀμοῦ γε.

Verba sunt Deianirae de Amore. Videtur καὶ — γέ particulis minus aliquid indicari: Amor diis imperat; igitur nil mirum si mihi. Quod Erfurdtius recepit κἀμοῦ τε, probum quidem habet sensum: Amor diis imperat et mihi etiam, quidni et alii? et

---

tem docens? Si quidem justitia virtus est. Mehercule, indubitatissima illa quidem. Quod Callias respondet, non bene hac per ἢ facta interrogatione dicitur. Dici vix potest quam multis in locis ἢ et εἰ confusa sint. V. Schaef. ad Greg. Cor. p. 987. Ita ἢ et εἰ ipsas voces confusas videmus Mem. II, 1, 18. Plat. Euthyd. p. 296. b. Charm. p. 165. d. Theaet. p. 183. c. Sed Mem. II. 1, 17. ad incitas redegit interpretes. V. Heindorf. ad Plat. Phaedon. p. 63. d., qui plurimos locos congessit huic simillimos, si hic legimus τί δέ, ἄλλο γε ἢ ἀφροσύνη κ. τ. λ. Censor editionis Schneideri in Annal. Heidelb. 1817. fasc. 26. scribi vult ἢ ἄλλο γε ἢ ἀφροσύνη. Possit quispiam Ernestium sequens suspicari ἄλλο τι ἀφροσύνη, ἢ vel addito vel praetermisso, ut ἄλλο τι sit i. q. ἦ γάρ; vid. Herm. ad Vig. 730. Matth. gr. gr. §. 487. 8. Videntur tamen quae antecedunt tale quid postulare, ἀλλ' ἢ ἀφροσύνη κ. τ. λ. sine interrogatione, hoc sensu: Sed haec vel dementia est vel nescio quid aliud. quam rem expeditam videmus ab Hermann. ad Vig. 812.

similibus locis comprobatur, ut Pausan. VIII, 21, 2. [6]) quo in loco τέ particulam non majore jure Porsonus in Adnotatis ad Pausan. a Gaisfordio Lectionibus suis Platonicis adjectis p. 182. delendam putat quam Bekkerus et Poppo in Thucyd. I, 9, 3. uncinis incluserunt: verumtamen, ut ad Sophoclem revertar, κἄμοῦ γε solita vi dictum est, nam si quis de aliis, quamvis dii sint, praedicat aliquid idque in se quoque valere deinde concedit, hoc quae animi humani est natura ipsi majus aliquid esse videtur. Sed vid. Hermann. Alter locus est Xenoph. Hier. III, 14, ubi Frotscherus in indice γέ post καί, quod maximum significare soleat, minimum exprimere arbitratur. At ne hic quidem particulae consueta vi carent. Gradatio ad majus ita animo est concipienda: Tantum abest ut templis interdicant iis, ut simulacra eorum, qui talia facinora patraverunt, in templis ponant; vel: pro poena tyrannicida magnum honorem consequitur, et quod turpius etiam est, simulacra ejus in templis, a quibus excludendus omnino erat, ponuntur. Poterat scribere καὶ εἰκόνας γ' ἱστᾶσι τῶν τὸ τοιοῦτο ποιησάντων. Idem tibi recurret Rep. Laced. II, 4, καὶ ἀντί γε τοῦ ἱματίοις διαθρύπτεσθαι ἐνόμισεν (ὁ Λυκοῦργος) ἑνὶ ἱματίῳ δι' ἔτους προςεθίζεσθαι. Tertius denique locus accedat ex Anab. III, 3, 5, ubi per καὶ — γέ transitus factus videtur esse a pluribus militibus ad unum. Non residebit tamen ulla dubitatio, ubi reputaveris antea vulgus militum dici sollicitari solitum esse a Tissapherne, ut ad se transiret, deinde vero etiam ordinis ductorem. In corollario addo locos plures, in quibus καὶ — γέ particulae injuria corrigantur, habere Bornem. ad Sympos. I, 6. et VIII, 21; sed quod idem vir doctus Anab. VII, 3, 6. scripsit καὶ ὅτῳ γε, ἔφη, ταῦτα δοκεῖ, qua in re non habuit secum consentientes Dindorfium et Krügerum, collatis simillimis locis III, 2, 9. 33. 38. V, 6, 33. Anabaseos censor in Ephem. litt. Lips. 1826. fasc. 62. jure reprehendit.

6) Hunc locum Pausaniae ab Hermanno, quum ante hos sex annos Trachinias in scholis suis interpretaretur, laudatum esse et ita explicatum: Olen fecit hymnos et alios et in Ilithyiam quoque, propter notam Hermanno et Böckhio de inscriptionibus graecis nuper injectam rixam moneo. Vid. Hermann. Über Herrn Professor Böckhs Behandlung der griechischen Inschriften p. 30. et 108. sqq.